



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Disputatio Historico-Politica 28.

De

MALECONTENTIS

in Republicâ,

Eorumqve ortu, factis & juribus,

Quam

Deo juvante

ac annuente inclutâ Facultat. Philos. in illustri
Acad. Lips.

PRÆSIDE

Viro Plurimum Reverendo atq, Excellentissimo

DN. L. VALENTINO ALBERTI,

Professore Publico

SS. Theologiæ Extraordinario, & Logicæ

ac Metaph. Ordinario Celeberrimo,

Collegii Beatæ Mariæ Virginis Collegiato

Gravissimo,

*Domino Patrono ac Præceptore æternum
devenrando,*

P. P.

JOHANNES HEINRICUS Reinbart/


Lips,

ad XV. April. A. M. D C. LXXVI.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



C. B. D.



Omnia significare ex institutō, nec ullam eorum esse naturā, sed cū sit nota, omni oraculō certius pronunciat aristoteles. Enimverò da- De Interpr. c. 2. c. 4 & 3.
 ri aliqua, quæ naturam rerum aptè deli-

neent, aut apertè exprimant, non negamus; quem in modum Agamemnon, qui integrum decennium in oppugnandâ Trojâ perduravit, Socrati videtur esse quasi *ἀγαθός τις τῶν θεῶν*: qualem *ἀνεβίβει* à Deo ipso in impositione nominum, (Adami &c.) adhibitam fuisse, sacris literis edocemur; & (ut domestica curemus) in Lutherō admiratur Historico-Plato in Cratylō, ubi plura exempla vide. Sleidan. L. XVI. p. 489.
 rum Princeps, quando illum *in Germanicâ lingua unicâ voce rem nonnunquam ob oculos posuiss.* observat, & exemplō ostendit. Nimirum aliud est naturam, aliud naturā propria significare. Illud aliquando fieri, rectissime probatur hujusmodi exemplis, in quibus essentia aut qualitas ejus rei, cui nomen impositum est, hōc ipso significatur; hujus autem vestigia nullibi deprehendimus; tantum abest, ut ejus specimina reperiantur. Imò planè non possunt expectari. Hōc enim posteriori modō Natura habetur pro causa efficiente, cujus officio in hoc negotiō defungi nequit. Priori dicitur tantum objectum esse idoneum hujusmodi significationis, cujus locō omninō consistere potest, sive id ex divinâ providentiâ, sive fortuito, sive etiam ex arbitriō hominum

accidat. Ad quem postremum modum in civili vitâ non raro denominationes fieri ac mutari, in propatulo est. Imò non desunt *Exempla*, in quibus utrumqve, tam nominis impositionem, quam immutationem, ad indolem rei denominatæ accedere videas. *Nequinum* olim, antiquissimum Umbriæ oppidum, sive ab iniquitate loci, quò situm, sive à moribus Civium sic dictum fuit; nomen autem Narniæ post à flumine tulit; clarâ utrinq; convenientiâ vel in naturalibus, vel moralibus. In eundem modum *Maleventum*, Samnii urbs, sive à venti malignitate, sive à clade, quâ Samnites ad eam affecti fuerunt, sic dicta, cœpit postea Beneventum dici, accuratius mutatò nomine, quod Colonia bene videtur eò ventura aut deducta esse. Nescio verò, quò ordine nos acturi de *Malecontentis*, inter non pauca *Exempla* alia, in *Maleventum* & *Nequinum* inciderimus. Illis enim cum Maleventò non tantum literarum, sed & cum Neqvini Civibus aliquando malitiæ communio intercedit; minimum ab iis, adversus quos insurgunt, imputatur. Utròqve verò casu nomen acceperunt, affectui aut statui suo conforme. Nam contenti eâ, quam impugnant, Reipubl. constitutione aut administratione non sunt; sive jure, sive injuriâ id faciant, ad quod in denominando non respicitur. De his igitur, quales esse soleant & debeant, ut constet, in ortum eorum facta & jura breviter inquiremus. Faxit Deus, feliciter!

Livius L. X.
Plinius L. 3.
c. 14.

Liv. L. IX.
Plinius L. 3.
c. 11.

I. N. 7.

I. N. J.

§. 1.



De Republicam pertinere *ἀνδραγαθία*, five eum statum, quò illa contenta esse possit, pro tam exploratò atq; certò habuit Aristoteles, ut in definitione ejus non postremum ipsi locum assignaverit: *Civitas*; inqviens *L. 1. Politic. c. 2. est Societas ex pluribus pagis, perfecta, omni sufficientia (πλὴρης τῆς ἀνδραγαθίας) finem habens, orta quidem vivendì causà, constans autem bene vivendì gratià.*

§. 2.

Nihil verò humile aut imperfectum præ se fert *ἀνδραγαθία*, potius subjectum suum, cui tribuitur, ab omni inopià liberat, idq; supra omnes injurias, foris imminentes, domi securum constituit. Hinc Deo jure meritoq; in gradu excellentissimò aptatur & vindicatur. Sicut enim hic est *ἀνδραγός*; silò Scaligeri: Ita summè *ἀνδραγής*. Quod agnoscens *Philosophus*, vitam ejus non tantum in summà beatitudine, sed & in contemplatione consistere dicit, *Nicom. X. 8.* Hæc enim nullo subsidio, extra contemplantem indiget. Præterea *Deus*, cum omnium causas in se perfectissimè complectatur, seipsum exactissimè comprehendens similiter complectitur omnia; *Marsil. Ficin: in Platon: Parmenid: c. 31.* Quid itaq; esse possit, cujus defectu ille laboraret?

§. 3.

Hominibus autem atqve humanis Societatibus hujusmodi *ἀνδραγαθία* applicare velle, temerarium oppidò atqve stultum esset, Tum enim, quando eà fortunà, quæ potest esse maxima, utuntur, & incrementum sperare possunt, & detrimentum metuere necesse habent. Quò respiciens sapientissimus *Seneca*, modum liberalitati suæ ponit: *Dabo*, inqviens *de benef. 2. egenti, sed ne ipse egeam.* Ut nihil dicamus de vi atqve injuriis, quæ extrinsecus accedere, & sufficientiam aut abundantiam nostram in extremam indigentiam redigere possunt. Vox est auditu sed eventu magis tristis: *Ea, quæ victi fuerant, & esse & appellari debent Victoria;* *Plutarch. in vità Alexandri.* *Cyrus apud Xenoph. in Padia: Lex est sempiterna inter homines, captà hostium urbe, eorundem res, atq; pecunias, victori cedere.*

Interim sufficientia sui generis, uti hominibus singulis, ita integris societatibus non est deneganda. Tantum enim his non raro indulget benignissimus Deus, quantum ad necessitatem, addo & commoditatem, requiri videtur. Hoc verò quando possidemus, jus fasque est, nos eò contentos esse. Nec plus requirit *Philosophus* ad *Aristoteles* Civitatis. Nam expressè *L. 7. Politic: c. 4. ἀνάγκη* οὐ τῶν ἀναγκασίων, in rebus necessariis constituit, asserens, eam in civitate, sive ex nimis multis, sive ex sufficientibus personis sit, reperiri. Nec aliò sensu etiam, quando generaliter loquitur, *ἐνδεΐα* (indigentiam) & *ἀνάγκη* (sufficientiam) opponit. Elegans est sententia ejus *L. 10. Nicom. c. 6. εὐφροσύνη* in quietis, *ἐοδότης* ἡ εὐδαιμονία, ἀλλ' ἀνάγκης. Cujus sensus est: Felicem esse, non qui omnia habet, sed cui ea, quæ habet, satis sunt, & qui præter ea, quæ habet, nil cupit, ulterius. Hujus Exemplum, si priscos Germanos laudaveris, non aberrabis. Quamquam enim *proximi* (exteris) ob usum commerciorum, aurum & argentum in pretio habebant; Interiores tamen, simplicius & antiquius permutatione mercium utebantur. Cibi illi simplices, poma agrestia, recens fera, aut lac concretum. Proximi tamen ripa & vinum mercabantur. Cætera, tam belli quàm pacis tempore, sibi patriæq; sufficebant ipsi. Tacit: demoribus German. Observa tamén, ex his verbis, jam tùm blanditam nobis fuisse Exterorum luxuriam, quæ hodie *ἀνάγκη* apud nos propè in exilium egit.

§. 5.

b) Malecontenta.

Quod si verò Respublica sorte suâ non possit, vel saltim nolit acquiescere, nihil obstat, quò minus *Male Contenta* dicatur. Hujusmodi enim affectus proditur tunc in eâ per effectus suos. Qui casus ad totam Rempublicam pertinet. Dari verò potest & solet adhuc alius, quò pars aliqua Reipublicæ, alterius aut plurium etiam partium actiones improbat, sequè iis contentam non esse, manifestis, imò violentis indiciis fatetur. Hinc illi nomen *Male-Contentorum*; de quibus nos,

II. Malecontenti in Republica

§. 6.

Considerati primum historicè.

Enim verò si de re ipsâ quærat, certum est, hujusmodi Factiones apud quam plurimas Gentes omni ævo extitisse. Quò propiores enim Magistratus sunt Deo, eò magis ad eos pertinet illud tributum.

-- Neg

— — — — — *Ned, Jupiter ipse,
Sive pluar; seu non, unicuiq; placet.*

Hinc Animi prazfente Sorte non contenti. Inde Studia novarum rerum, veterumqve desideria. Nos tamen de iis in specie agimus, qui sub titulô Malecontentorum in hujusmodi negotio nobis innotescunt.

§. 7.

Dimidiam partem, & ultra, effluxerat Seculum decimum quintum, cum in Galliâ adversus Ludovicum XI. coiret factio, eò confilio, ut Regem, qui multa insolenter ageret & iniquè, cogerent saniozem Reipublica formam instituerè; & quia bellum hoc videbatur suscipi pro Republicâ totius Galliæ, vocatum deinde fuit cognomento BONUM PUBLICUM. *Cominaus Comment: L. 1. non procul ab initio*, ubi Philippum Burgundicum à Johanne Borboniz Duce in societatem callide pertractum fuisse commemorat. Quæ unio tam quoad rem, quam vocem, à Malecontentis nostris haud procul abfuit.

§. 8.

Titulus tamen hic, quantum nobis constat, natus est demum, 1.) Quoad or-
superiori Seculô in Galliâ, ubi sub regimine Caroli IX. circa finem, factum.
factio matri Reginz Gvifisq; infesta, sibi ipsi hoc nomen imposuit. Erant enim tum, qui de quietis publica perturbationibus, Edictorum re-
giorum violatione, & pravâ Reipublica administratione vulgò ac pa-
lam querebantur, eamq; convocatis Regni comitiis corrigi & emendari
petebant; Illorum factio Politicorum & Malecontentorum ob id sibi no-
men sumpsit. *Ihuanus. Lib. LVII. p. m. 1089.*

§. 9.

Infelix Galliæ, si faces & tubas publicarum calamitatum species; felix, si ad nova nomina, quibus Lexica Politicorum locupletavit, respicias. Factio enim illa Politicorum simul, simul Malecontentorum, titulô inclaruisse, dicitur Principi Historicorum Gallorum. Et si Politicorum vocem jam ante hæc tempora in similem significationem degenerasse, notatum sit ab eodem *Lib: XLIV. ad A. 1568. p. 830.* ubi ficti, tanquam hypocritæ in Religione, referuntur, qui Pontificiam Religionem retinebant, sed Lotbaringorum partes sequi dedignabantur; Ad eò ut videantur illi, qui post sexennium novis rebus studebant, hoc nomen non invenisse, sed jam inventum repetisse; non tamen

ta men absque novâ inventione ; Nam simul dicebantur Male-Contenti, qui cum Politicis in ad conveniebant, quod utriusque Pontificiam Religionem profiterentur, & hanc salvâ, Statum Regni cuperent immutatum. Hinc Politicos & Malecontentos Thuanus mox post eorum ortum p. 1090. sollicitè semper distingvit à Protestantibus; vocans præterea illos *Memorantios* à præcipuo Autore.

§. 10.

Ipsos vero titulos Politicorum & Malecontentorum distinguebant à se invicem, i. e. favor et odium. Nomen enim *Malecontentorum* erat favorabilius, expressè præ se ferens Zelum pro Bonò publico: *Politicorum* vox odiosa, hypocrisis in Religione, ut videbatur, ex causis Politicis fovens, imò juxta Zelotatum judicium, apertè exercens. Eorum enim voces, principia, axiomata: *Multa esse temporariè concedenda, multa esse pro semper dissimulanda, publicæ pacis causam ante oculos semper habendam, non esse irritandos orabrones, hæreses ipsas vel debellari non posse, quia potentes, vel ex animis hominum evelli non posse, quia pertinaces heretici sunt, vel tantis conatibus impugnari non esse necesse, quia de rebus levissimis conceditur, vel postremo tantum illas non esse, nec tantopere in universum religionis curam nobis incumbere, ut pacem publicam, communemq; fortunam, vel ad illos reprimeandas, vel ad hanc conservandam periclitari sinamus. Quinimò prudentis ac Politici viri esse, patriam civium suorum commodis, ante omnia prospicere, suisq; rebus consulere. Principum placitis se accommodare, invidias aut simulas superfluas, religionis causâ non subire, illam curam vel suis Clericis, ac Monachis, vel etiam ipsi Deo relinquere, qui suas injurias, si quas per nova hæc dogmata acceperit, ipsemet ulcisci ac vindicare valeat; In summâ, id agendum, ne quid res vel publica, vel privata detrimenti capiat; suam sibi cuiusq; conscientiam absq; orbis certaminibus sanam ac salvam esse posse.* Sic Thomas Stapletonus Orations 3. ad ad. p. 53. in o. quâ ad quæstionem: *An Politici horum temporum in numero Christianorum sint habendi?* negativè respondet. Nec facilè invenias declamatorem in hoc genus hominum vehementiorem. Inde verò apparet, quàm generalis hæc sit Politicorum descriptio. Hinc 2) latius eorum nomen quàm Malecontentorum, vel ipsò Duce aut judice *Stapletono*, patet. Quod si enim ad vitæ genera respicias, Politici apud eum tam togati quàm sagati. Ex illis enim *Bodinum* p. 75. post alios etiam

etiam, nominat. Malecontenti verò castra sequi amant. Si ad diversos Populos, Politicus est Ubiquitista, homo omnium locorum & temporum; non æquè Malecontentus. Hinc illi in Angliâ sub Elisabetha, p. 60. & 66. æquè ac in Galliâ sub Carolo IX. & Heinrico III. & in Belgiô sub Philippo II. locum assignat; Anglicanos autè Politicos benè potius quàm malè contentos administratione Reginz, saltim in speciem, fuisse fateatur. Tandem, quia Titulus Malecontentorum favorabilis, Politicorum odiosus erat, idèd 3) illò factiones volentes, hõc invitæ salutabantur,

§. II.

Postquam autem Malecontentos Gallia enixa fuerat, paulò post *) quoad pro. in Belgio A. 1578. idem nomen adoptatum fuit ab iis, qui ab Hispania gradum. nis non minùs ac confœderatis Ordinibus secedentes tertiam factionem constituiebant. Nomen enim hoc Gallorum imitatione ab iis assumptum esse, apertè scribit *Sirada de bello Belg; Decad: sec. L. I. p. m. 5.* Erant autem & hi Pontificiæ Sectæ addicti; aliosq; ejusdem superstitionis & novitatis asseclas mox ad *κακοζήλιαν* permovebant. Nam proximè sequenti annò *aliquot Wallonum legiones secessionem fecere ab Exercitu Oranpii, quæ quia Catholica fidei defensionem sibi asserentes, coronam picularibus plexam globulis collò gestarent, milites à Pater noster, seu Coronarii, vulgò appellabantur. Hi autem, qui quarantam effecturi classem videbantur, à Malecontentis, à fœderatis Provinciis, atque à Regio exercitu diversam; quæ ratione adjungi facile possent Nobilibus Malecontentis, cum quibus natione, Religioneq; consensiebant, Mortem edocuerat, uti solebat, Alexandrum.* Ex quibus verbis discis, hos à Malecontentis, tanquàm cingendos à cinctis, ceu vulgò loquimur, distinctos fuisse, aptos aut dignos viros, qui & ipsi dicerentur Malecontenti, etsi fuerint his uti posteriores, ita ignobiliores. Zelum autem illorum Malecontentorum, quò ad propugnandam Religionem Pontificiam ducebantur, aut seducebantur, graviter exprimit *Languetus in Epistolis ad Sydnaum p. 319. Non enim tantum se propugnatores Religionis Catholica profitebantur, sed & promiserant, se non deposituros arma, antequam Belgicas provincias sub Imperium Pontificis R. & Regis Hispania reduxissent.*

§. 12.

Nostrâ memoriâ A. 1661. & sequentibus Polonia, à Malecontentis,

B

tis, postquam tot bellis concussa, Cives suos intra oleas continere non poterat, graviter afflictâ fuit. Fœderati enim Exercitus Duce Lubomircio, Regni Mareschallo, turbas passim dabant per Regnum, ex indignatione ob non soluta stipendia adversus Regem insurgentes, & *Male-Contenti* dicti; usq; dum A. 66. per transactionem dissidia finirentur. Eòdem titulò hodie non rarò in Novellis insigniuntur, illi, qui in Hungariâ Cæsareis, reformationem Ecclesiæ atqve Politicæ pertendentibus, armatâ manu resistunt.

§. 13.

Hos diversorum temporum atqve locorum *Malecontentos* si conferas, deprehendes, aliquos adversus Magistratum, & aliquam Civium partem simul, alios adversus Magistratum solum, saltem principaliter, insurgere; Prioris generis erant Wallones in Belgio §. 11. Poloni & Ungari §. 12. Posterioris Galli §. 8. Adjicere verò liceat etiam tertium, eorum nimirum, qui tantum cum aliquâ parte civium adversâ fronte concurrunt; quò iidem Galli malint referri, prætendentes, rem sibi non cum Rege, sed cum administratoribus Regni tantum esse. Imò hinc quæsitus color communiter, adè ut cum Regimine potius, quàm cum Magistratu se Malecontentos vel hòc ipsò titulò fateri velint. Crimen enim & infame nomen Rebellionis, uti per jura (vera illa an falsa sint, hìc non disputo,) quæ prætendunt, ita per hanc vocem, quâ volunt, seu patiuntur se salutari, student declinare.

§. 14.

Secundò, politicè.

Ex his præmissis nascuntur quæstiones à nobis ventilandæ: An liceat subditis, administratione Reipublicæ non contentis, adversus Magistratum, aut alios cives, aut contra utrosqve conjunctum, remediis violentis uti?

§. 15.

Ubi exponitur a) quid sit Tyrannus.

Gravis est sententia, quam de Tyrannide in genere dicit *Cicero III. de officiis. 32. Nulla nobis societas cum Tyrannia, sed potius summa distractio, neque est contra naturam, spoliare eum si possis, quem honestum est necare. Atque hoc omne genus pestiferum, atq; impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim ut membra quadam amputantur, si & ipsa sanguine & tanquam spiritu carere ceperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figurâ hominis feritas, & immani-*

manitas bellua, à communi tanquàm humanitate corporis segreganda est.
Nec dissimiles fofculos apud eundem aliosqve invenias passim. Sed constare debet ante omnia, quis Tyrannus jure meritoq; censeatur esse? deinde quid in illum liceat? tandem, annon adversus eum, qvi nondum omnes Tyranni numeros implet, malè verò per se aut alios administrat Rempublicam, violenta media atqve remedia liceat adhibere? Hanc enim postremam quaestionem *Malecontenti* maximè movent.

§. 16.

In agnoscendò Tyrannò opus est oculis apertis & accuratis, ut nec excedamus, nec deficiamus.

§. 17.

Excessus committitur vel extensivè, vel intensivè. *Extensivè*; quando illud scelus, ex quò Tyrannum judicamus, in se quidem grande, & in ipsam Rempublicam directè iniquum est; sed semel atqve iterum tantum, non frequenter à Magistratu committitur. Cùm enim ex privatis nemo habeatur pro improbò ex actu sed ex habitu, sicut nec virtuosus, nisi firmè constanterq; (*βεβαιως καὶ ἀμειψανήτως*) bonum faciat; *Aristor: L. II. Nicom. c. 4.* necesse omninò erit, in personâ publicâ, quæ est Magistratus, haud arctiorem modulàm adhibere. *Intensivè*; quando illa vitia, quæ in Rempublicam, quæ talia, directè non peccant, in Magistratu pro *νεπηγεῖοις* Tyrannidis habentur, Equidem non diffiteor, omnia omninò peccata, quæcunqve illa sint; & à quocunqve committantur, in foro *Theologico* ad peccata consummata pertinere. Imò in *Politico* dignitas peccantis crimen non imminuit, sed auget. Notum est illud *Juvenalis, Satyr. L. III. v. 362. 363.*

*Omne animi vitium, tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò, qui peccat, major habetur.*

In hoc tamen quando unum alteri est præferendum, ad Effectus, qui in Republicâ per se consequuntur, non iniquè respicitur; quæ mensurâ usus Gramondus, navum *Veneris*, quem in Heinricho IV. non potest dissimulare, eò *Regibus* noxa levior esse censet, quòd *Populus* rarò opprimatur eâ labe; *Histor: Gall: L. I. p. 9.* Idem obtinet in vitiis intellectualibus, inter quæ est error in Religione. Hic enim, quæ talis, non corrumpit aut evertit Rempublicam. Ex quâ causâ non possunt non

inter excedentes numerari Catones, nescio an Gnathones, illi Pontificiorum, qui Principes ab Ecclesiâ Romanò alienos, ex hâc solâ ratione Tyrannos esse judicant. Fatemur tamen, & à libidine inter vitia moralia, & ab hæresi inter intellectualia, facillimum esse transitum ad Tyrannidem, si per illam vis inferatur subditorum corporibus, per hanc eorundem animis, atque conscientiis, & quidem malitiâ habituali.

§. 18.

Per Defectum peccatur, quando ad consummatam Tyrannidem requiritur exercitium nimis longum atque crebrum, adeò ut adulatoribus vix unquam desit prætextus excusandi illos. Tyrannis quidem, propriè loquendò, est malum habituale, ceu modò facti sumus: inter habitus tamen gradus dari, unumque alterò pluribus aut paucioribus actionibus acquiri, certum est: Adeò ut si applicatio hâc sit facienda, audeamus dicere: Malitiam in Actionibus Tyrannicis supplere brevitatem temporis, modò hoc brevissimò spaciò non sit definitum.

§. 19.

Id verò commune habent actus Tyrannici, quòd primariò non propter Bonum publicum, sed privatum fiant. *Vid. Aristot: L. IV. Politic: c. 10.* Hinc accuratè non minùs, quàm acutè *Piccartus in Politic: Aristot: p. 399.* Tyrannus, inquit, *propriè non videtur Respublica, sed quia omnia ab unius hominis nutu & arbitriò pendens, res privata.* Id tamen de Republica, quoad formam ejus moralem, non numericam, intelligimus. Per hanc enim non differt à Regnò; sed per illam tanquam Respublica corrupta à rectâ.

§. 20.

Actus autem, ceu constat, pertinent ad Administrationem, aut Gubernationem Reipublicæ. Hinc quæstio nobis non est de Tyrannò, qui *Titulo talis in fieri est.* Sic enim spectatus, tanquam hostis Reipublicæ publicus atque certus, armatâ manu jussu Magistratus legitimi repelli, imò interfici debet; tantum abest, ut non possit: *Vid. tamen Grotium L. 1. c. 4. §. 15. seqq.* In esse verò, postquam juramentò Fidelitatis cives ei obstructi sunt, consideratus huc pertinet: æquè ac Tyrannus exercitio; imò magis, quia per malum exercitium ma-
lus

lus Titulus, hæcenus quasi sepultus, reviviscit, & ad concitandos subditorum animos magnam vim atqve speciem juris habet.

§. 21.

Quid autem in hujusmodi Tyrannum exercitiò sine solò, sine titulo simul, subditis liceat; in genere ob diversitatem Rerum publicarum tutò definiri non potest. Quamobrem agemus nos distinctè, primùm de Republicâ simplici, deinde de Temperatâ, tandem de mixta.

b) Quid in Republicâ eum liceat.

§. 22.

Simplex prout opponitur mixtæ, unam tantùm formam numericam habet, adeò ut sit vel pura Monarchia, vel pura Aristocratia, vel pura Democratia; prout temperatæ; liberâ utitur administratione, ita ut in Monarchiâ à solò principe, in Aristocratia à solis optimatibus, in Democratia à totò populo ex toto dependeat. Quamquam Democratiam simplicem, quæ nec mixta nec temperata, & tamen recta sit, vix ullibi extra ideam, invenias. Quid enim fiat, si inter sceptrum & plectrum, h. e. inter Cives nullum discrimen, omnesqve perinde ad clavum Reipublicæ sedeant? Hinc communiter Respublica popularis temperata est modò administrandi Aristocratico.

Primùm in Republicâ simplici.

§. 23.

In tali Republicâ simplici subditis ex totò denegamus jus, violentis medijs resistendi Magistratui suo. Sola enim parendi gloria illis relicta est.

§. 24.

Nec quidquam, quod opponant nobis, inveniunt, nisi quod à Monarchomachis mutantur. Sed quàm levis armaturæ hi milites! Omnia namqve, quæ proferunt de Majestate reali in populo, contradistinctâ personali in Personis imperantibus, eaqve superiori, &c. unò ictu prosternuntur, si negemus à populo Majestatem in Principem aut optimates propriè loquendò, transferri. Graviter hæc de re, & ex verò, Nobilissimus Dn. Zigler. in Grot. c. 2. §. 7. p. 126. Falsum, inquit, hoc esse (summam potestatem radicaliter, fundamentaliter, virtualiter aut habitualiter esse in totâ civitate) ex eò imprimis patet, quòd Potestas imperandi à Deò conferatur immediate, perinde uti potestas docendi, solvendi & ligandi, administrandi sacramenta &c. quæ ministro Ecclesia competit. Quemadmodum igitur Populus eligendò pa-

dō pastorem, non confert potestatem istam, nec conferre potest, quia scilicet nunquam eam habet ipse, sed personam electam potestati à Deo immediate proficiiscenti applicat; haud aliter & eligendo Regem non confert potestatem imperandi, sed personam electam producit, eamq; destinat ad exercitium potestatis illius à Deo immediate conferenda. Breviter: Communitas quando eligit personam, ipsam potius personam, seu personas applicat potestati divina, quam potestatem divinam, personis. Eadem mens atq;ve lingua Theologorum tum aliorum, tum imprimis B. Hülfemanni nostri, Breviar. c. XX. supplem. Tb. 2. Positò verò, populum nec in se habere Majestatem, nec transferre eam in personas imperantes, nullam, ne dum superiorem potestate summâ (en ἰδιονόμοτον) sibi retinere potest. Confer Grot. L. 1. c. 3. §. 8. & 9. & præter Commentatores ejus Celeberr. Du. Thomas. nostrum Tab. Philos. pract. 48.

§. 25.

Eadem sententia ferenda est in hujusmodi Republicâ de personis administrantibus, quæ vicario nomine Reipublicæ præsumunt. Hæc verò communis est exceptio Male-contentorum: *nihil à se moveri adversus Magistratum; salvâ hujus eminentiâ, rem sibi esse cum ministris, qui in ordinem redigendi sint.* Benè: sed modus adhibendus est legitimus, qui in precibus, monitis salutaribus, aliisque mediis tranquillis consistit. Violenta verò non possunt non injuria esse in ipsum Magistratum, cui jus gladii in tali Republicâ competit soli. Imò hic ipse per laus Administratorum, quippe qui ab eò dependent, non occultè confoditur,

§. 26.

Secundò in
Temperata,

Temperata prout opponitur mixtæ, unicam formam numericam; prout simplici, modum administrandi alium ab illâ habet, ita, ut vel Monarchia & Democratia aristocraticè, vel Aristocratia monarchicè gubernetur. Gallicum verò Regnum, quò magis est simplex hodiè, eò clarius exemplum præbet Reipublicæ temperatæ, si ad præterita tempora respiciamus. Opposita enim, juxta se in eodem sic posita, maximè elucescunt. Notandum itaque est, Parlamento Parisiorum & Comitibus Regni magnam olim in publicis competiisse potestatem, adeò ut *du Hallians*, Galliarum Regnum pro Republicâ ex omnibus tribus formis mixta venditare non erubuerit, relatus & refutatus à *Bodinò*, L. 2. de Republ. c. 1. p. 284. Tametsi verò mixtura non-

nondum exinde deduci possit, temperies tamen; quæ in modo administrandi adhibita fuit, non obscure se prodit, & quidem Aristocratica, si Parlamento Parisiensi jungas Comitiam Notabilium, Democratica, si accuratius inspicias Comitiam trium ordinum. In illis congregabantur Clerus, Parliamentum atque Nobiles, adeoque Optimates absente Populo; In his Clerus, Nobilitas atque Populus. Hinc & generalia appellabantur, utque totum Regnum plane pleneque possent representare, præmittebantur Comitiam Provincialia, in quibus Deputati instruebantur; quæ *συνέλευμα* ante Comitiam Nobilium necessario non instituebatur. Vid. Gramond. L. 1. p. 58. & L. III. p. 181. Hinc temperies Regiminis dicto modo. Sed postquam hodie Rex Galliarum subditis suis otia, grata nescio an ingrata, sanè perpetua in negotiis publicis fecit, Regnum Galliarum non temperatæ, sed absolutæ Reipublicæ Exemplum ac propè Exemplar factum est. Lege tamen apud Gramondum L. 1. p. 61. seqq. quomodo Ludovicus XIII. A. 1614. hujusmodi Comitiam celebraverit, ordinibus adhuc jure suo masculè utentibus, Tertio imprimis adversus Clerum, qui promulgationem Concilii Tridentini, ceu superiori seculo aliquoties, urgebat.

§. 27.

Sicut autem hujusmodi temperiei civilis varii dantur gradus, qui jam magis, jam minus hic alibi que admittunt socias Subditorum operas: Ita nullus omnino ex iis sufficit ad remedium violentum adversus Magistratum, nisi is, in quo Subditi expressè sibi reservant armatam jurium suorum defensionem. Vid. hoc ab Hälsemanno nostro ex Christianâ Politicâ egregiè deductum Brev. c. 20. Thef. 21. Ratio verò, quæ nobis sufficere potest, est divisio Majestatis in omni Republicâ, quæ non est mixta, sive sit absoluta, sive temperata. Hinc enim sequitur, omnia Regalia sic esse penes Magistratum, ut in subditis, cujuscumque sint dignationis, nullum eorum reperiri possit. Ubi verò nullum, ibi nec jus Belli defensivi adversus Magistratum. Hoc enim reliqua omnia tuetur, ac protegit; Tantum abest, ut eorum numero sit excludendum.

§. 28.

Quid verò dicendum est de remediis adversus Ministros Regis in Republicâ temperatâ, si in administrandâ eâ graviter exorbitent?

Cum

Cum enim subditis, saltem dignioribus inter eos, pars administrationis in hujusmodi Regimine, idè & quatenus est temperatum, sit commissa; videtur licitum non minus ac utile, imò necessarium esse, prospicere seduloquè cavere omnes illos, quorum interest ratione, officii, ne diutius Salus Reipublicæ sub hujusmodi moderatoribus periclitetur.

§. 29.

Rectè profectò atquè piè omnia. At verò:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra citràq, nequit consistere rectum.

Injiciatur omninò, quod amor boni publici maxumoperè requirit, frænnum licentiæ, quâ non rarò illi, qui vices Magistratûs in regimine gerunt, contra conscientiam atquè officium fruuntur. Sed aliud est, frænnum injicere, aliud jugulum petere aut frangere.

§. 30.

Sed quid faciendum, si lenioribus mediis nihil proficiat Respublica? Annon tunc imitandi erunt Medici, ex quorum disciplinâ immedicabile vulnus ense tandem reciditur?

§. 31.

Sanè liceret hoc rigore uti, si tanta subditis in alios subditos, quanta Medicis in nostra corpora vis ac potestas competeret. Sed magna profectò disparitas inter hosprehenditur. Nos enim ipsi hanc copiam facimus Æsculapiis, ut ad vitam nostram conservandam faviant in unam alteramquè partem. Facimus id ex indultu, imò dictamine charitatis ordinatæ, negligentes minus bonum, ut ne jaçturam faciamus ejus, quod in terris præcipuum est. *Vita enim fundamentum est omnium bonorum temporalium, & æternorum occasio. Grot. L. II. cap. XXIV. §. 6.* Sed quis subditis in subditos jus vitæ & necis concessit aut indulgit? Ut taceamus per hujusmodi curationem vulneris in manu, aut pede, novum infligi capiti ipsi, hoc est, gravissimè lædi sacrosanctam Magistratûs majestatem, si aberrationes Ministrorum per violationem Regalis præcellentissimi (juris gerendi bellum) subditi corrigant.

§. 32.

Tertiò in
Mixta.

Mixta prout simplici & temperatæ simul opponitur, non unam sed

sed duas habet formas numericas, quas non potest non mixtum admi-
nistrandi modus sequi.

§. 33.

Certum autem est, aut hanc non dari, quod nonnulli volunt, aut
in ea divisim Regalia penes plures esse, sic, ut in Monarchico-Aristo-
cratica Republ: sint minus plenè penes Monarcham & Status seorsim,
plenè in utrisqve conjunctim; in Aristocratico-Democratica mi-
nus plenè penes Optimates & populum seorsim, plenè in utrisq; con-
junctim.

§. 34.

Ex hoc fundamentò, quò ipsa harum Rerumpublicarum natu-
ra nititur, deducimus nos, utrumqve Magistratum, qui minus ple-
nè Regalia habet, si Malecontentus sit eum alterò ex gravissimâ cau-
sâ, posse jus suum armis defendere, idqve sibi vindicare. Regula
enim omni exceptione major est: *Quicumque habet Regalia (est mi-
nus plenè,) is etiam habet regalem Regalia defendendi modum;* qui ni-
hil aliud est, quam jus Belli. Hinc Grotius L. 1. C. 4. §. 13. *Quisquis, in-
quit, imperii summi partem habet, non potest non jus habere eam par-
tem tuendi.* Absqve hâc Regalia, imminente Tyrannide, non essent
potentia, sed impotentia. Quid enim proficeret pars pressa in Republi-
câ mixtâ per preces, intercessiones, aliaqve hujusmodi media, quæ
non Coimperantes, sed subditos absolutè tales decent?

§. 35.

Solet autem in Republicâ mixta, Altera pars ab alterâ suò mo-
dò dependere, sic ut illa diversò respectu simul sit coimperans, simul
parens. Nec diffitendum est, committi hâc occasione nonnunquam
faliaciam à dictò secundum quid, ad dictum simpliciter; hoc est, Ma-
gistratum suò modò eminentem in Republicâ mixta, alterum tractare
ut absolutè subditum, qui comparatè tantum talis est. At verò, quò
major est occasio ita procedendi cum Coimperantibus ob hanc con-
currentiam libertatis & subditiõis civilis in eorum personis, eò cir-
cumspetiores decet eos esse ad hos diversos respectus, aut status, in
integritate suâ conservandos.

§. 36.

Sed hæc generaliter definit hunc in modum Politica universalis;
Particularis sive jus publicû hujus aut illius Reipublicæ in specie, super-

C

addit

addit deinde plura, determinans, in quibus casibus & gradibus licitum sit uni parti adversus alteram violento modo jus suum prosequi. Hæc itaque nihil ad nos.

§. 37.

Id verò sequitur ex dictis manifestè, quod in Republicâ mixta locus hujusmodi violentæ resistentiæ non relictus sit prius, quam Regalia alterius partis vim patiantur. Non igitur sufficit injuria qualiscunq;, etiam si in se haud exilis aliàs aut contemnenda videatur esse. Nam cum ad Bellum inter duas diversas Republicas, non sufficiat qualiscunq; causa, adeò ut à veteribus non laudetur Hercules, quod Laomedonti & Augiæ arma intulerit, ob non solutam laboris mercedem: quod, aliàque prudenter observat, pieque monet *Grotius L. 2. c. 24. §. 1.* quid ad Bellum intestinum inter Coimperantes requiratur?

§. 38.

Quartò in
nulla.

Quod si verò in Republicâ mixtâ non est licitum ad arma procurrere, nisi ob violationem Regalium in Coimperantibus; facile apparet, quod multò minùs id indultum sit subditis in Republicâ absolutâ aut temperatâ; Nam in neutra subditis competunt ulla Regalia; quomodo itaque in iis læderentur?

§. 39.

Præterea in omni Republicâ expedit, auctoritatem Magistratûs factam testamque conservari. Illa verò, quam lubrico fundamento niteretur, si ob errores aut delicta quævis personarum imperantium, liceret subditis turbas dare, arbitrioque Martis Rempubl. committere, facile intelligitur. *Omnes profectò omnium temporum Senatores, ac viri præstantes, qui vel fuerunt aliquando, vel hodiè sunt, errarunt, & sæpe errare possunt atq; labi. Testatur hoc experientia quotidiana. Comin: Comen: L. VIII. Quis itaque sine præsentissimò periculo in fastigiò illò consisteret?*

§. 40.

Ne in causa
Religionis
quidem.

Quid autem dicendum erit de violatione Religionis & vi conscientis illatâ? Annon hæc causa, reliquis etiam omnibus rejectis, sola sufficiet in omni Republicâ adversus Magistratum? Nam *inter curas publicas, prima de rebus divinis est. A civibus enim Deum Coli decet, juxta Aristotelem L. VII. Politic. c. 9. pietate verò sublata, fides etiam* & so-

& societas humani generis, & una excellentissima Virtus, Justitia, tollitur; secundum Ciceronem: L. 1. de nat: Deor.

§. 41.

Splendidus profectò prætextus, & qui non malos, sed probos ad arma excitare possit. Verum enim verò nec hæc causa pro legitima aut sufficiente haberi potest; præsertim apud nos Christianos, quibus Potestas Magistratus non tantum innotescit exquisitissime in verbò revelatò, imprimis *Rom: XIII.* sed & talis Religio placet, *quâ nihil doceri, nisi justum & iene*, jam olim testatum fuisse *Ammianum* prædicat *Grot. L. 2. c. 20. §. 49.* Adeò ut Religio Christiana, præsertim nostra Orthodoxa, modò animum rectè advertas, non instiget nos ad talem sui defensionem, sed potius ab eâ revocet.

§. 42.

Excipimus tamen in Republicâ mixtâ illum casum, quò vis Religionis, simulq; regalibus, aut uni saltem ex iis (quòd hòc locò est jus dirigendi exercitium Religionis) vis inferitur. Nam tunc valet Canon noster superius §. 34. propositus & commendatus: *Quicumq; habet Regalia, ille habet Regalem Regalia defendendi modum.*

§. 43.

Ex his omnibus, si rectè ponderentur, facile intelligitur, alia Appendix de
Consiliiis. consilia danda esse Reipublicæ Constituendæ, alia Constitutæ.

§. 44.

Quando est constituenda, fayet adhuc tempus & occasio subditis, ut si non mixturam, saltem temperamentum in corpus civitatis suæ introducere possint; eò in gradu, quò sufficiens vis redigendi in ordinem aberrantes Magistratus subditis reservatur. Ab hac prudentiâ olim apud Lacædæmones Regibus, si tamen hoc nomen meriti sunt, vincula injiciebantur tam valida atq; firma, ut utròq; oculo ad Ephoros respicere opus haberent. Idem factum etiam est alibi. Nos tamen non excessum, sed mediocritatem commendamus.

§. 45.

In constitutâ, limites semel positi à subditis non sunt movendi. Procedendum itaq; est secundum dicta hæctenus, prout Respublica est vel absoluta, vel temperata, vel mixta in uno alteròq; gradu.

§. 46.

Quod si verò reliqua omnia deficiant, grande solatium suggerit

C 2

Patien-

Patientia, & Refugium ad Deum. Mirum verò est, quàm egregiè his virtutibus incubuerit Mulier, & quidem gentilis, apud Syracusanos, quæ quotidiè tempore matutinò votis ardentibus à Diis salutem gravissimam & intolerabilem Tyranni Dionysii devotissimè precabatur; quod ubi is cognovit, non debuit sibi admiratus benevolentiam, ad se vocatam, cur aut quò suo meritò id faceret? interrogavit; tùm illa: certa est ratio, inquis, propositi mei; Puella enim, cum gravem Tyrannum haberemus, cærere eò cupiebam. Quò interfessò, aliquanto tetrior arcem occupavit, ejus quodq; finiri dominationem magni estimabam. Tertium Te superioribus importunior em capimus habere rectorem. Timens itaq; ne, si & tu absumptus fueris, etiam Tibi succedat deterior, caput meum pro salute devoveo. Val. Max. l. 6. c. 2.

§. 47.

Plato verò multus quidem in eò est, l. 6. de legib. ut æqualitatem quam Malecontenti intendunt, aut intendere videri volunt, recte describat, atq; laudet. Ultimam tamen analysin etiam instituit in Deum: quæ in re, inquis, Deum (bonamq; fortunam) precibus invocare oportet, ut fors ad id, quod est justissimum, dirigatur. Ad quem igitur nos Christiani confugiemus nisi ad Deum? Hic primum sit ultimumq; refugium nostrum. IPSE faciet.

Huic Soli Gloria.

COROLLARIA.

1. *Majestas est divisibilis.*
2. *Hinc dari potest Republica mixta.*
3. *A formâ externâ Reipublicæ ad internam N. V. C.*

••(o)••